

« divina misericordiae divitias ignorat. » S. Thomas super Matthaeum scribens, inter esse *vocatum* et esse *electum* his verbis distinguit : « Quia qui fide credunt, omnes vocati sunt; sed illi electi, qui bona opera faciunt, et isti sunt pauci; » ac proinde S. Petrus, I, v, 10, salubriter nos monet, dicens : *Magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem faciatis.*

6. — S. Lucas, XIII, 23, refert Salvatorem de numero salvandorum interrogatum fuisse : *Aut illi quidam : Domine si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos : Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quarent intrare, et non poterunt.* Paulus de Palatio super illa verba : *Ascendente eo in naviculum, vocem naviculam considerat et scribit : « Sicut elegantissime dicta navis « est vite christiana, quae ad portum salutis affert, « ita horrendae et lachrymabiliter dicta navicula est. « Utinam navis grandis et nimium capax fuisset,*

« sed navicula est, arcta est, brevis est, quia pauci « sunt qui intrant per eam. » Ex parabola de decem virginibus deduci posse videtur, medietatem animarum salvandam esse, siquidem quinque illarum ad caelestis sponsi nuptia ingressae fuerunt; veritatem Cajetanus in ea est opinione, quod haec parabola non sit intelligenda de omnibus illis, qui baptismali characterе insigunt, sub Christi signis christianae militiae sunt adscripti, quia quoad multos opera perditionis ipsorum sunt manifesta; sed solum de iis Christianis quos, quod apparentiam externam, de electorum numero esse credimus, et de his Salvator vix medietatem de salute sua securam esse dicit : « Parabola ista tractat non de « omnibus Christianis; nam multorum extrinseca « opera manifeste sunt mala, sed de illis tantum, « qui profitentur se studere factis ad continuum « progressum versus patriam caelestem. »

DOMINICA SEXAGESIMAE

EVANGELIUM LUC., CAP. VIII, VERS. 4

4. Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem :
5. Exiit, qui seminat seminare semen suum ; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud.
6. Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem.
7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud.
8. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum.
9. Haec dicens clamabat : qui habet aures audiendi, audiat.
10. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quae esset haec parabola ?
11. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.
12. Est autem haec parabola : semen est verbum Dei.
13. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.
14. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.
15. Quod autem in spinas caecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudine, et divitiis, et voluptatibus vitae, euntes suffocantur, et non referunt fructum.
16. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

Versus 4.

Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.

Cum turba plurima convenirent, etc.

1. — « Non omnes eadem voluntate, » inquit

Glossa : « quidam pro bono, quidam pro malo, « omnibus tamen Dominus beneficia praestat, do- « cendo, alendo, sanando. » Dionysius Carthusianus aliquos ex curiositate ad ipsum audiendum accessisse putat, alios vero ex malitia, ut ei insidiarentur. Rabanus addit, multos propter interesse

proprium ipsum secutos fuisse, ut scilicet ab eo pascerentur, eo quod panem aliquando per mirum miraculum multiplicasset; alii denique, propter miraculorum novitatem.

2. — Experientia satis hoc bacchanaliorum tempore testatur, quod quo tempore Deus a majori Christianorum, dissolutione hujus temporis consecantium, parte misere deseritur, multi nihilominus timoratam conscientiam habentes, in ejus secula hisce diebus magis quam anquam effervescent.

Dixit per similitudinem.

3. — S. Bonaventura, *ibid.* in *Luc.*, Christum, velut sapientiam aeterni Patris increatam, prudentissime hac similitudine parabolica usum fuisse notat : « Per apertas res, quibus assueti erant, et « ideo ad audiendum cum desiderio propera- « bant. » Auditores gens variis necessitatibus assuefacta erant : *Cum turba plurima convenirent* ; ac proinde varias illis proponebat parabolae : « Attra- « hebat auditores, commiscens parabolae de area, « de vinea, de agro ; » multum enim interest, si concionator ad sphaeram capacitalis et gustum auditorum suorum adaptare se norit.

Aditio.

a. — *Cum turba plurima convenirent et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem, etc.* Parabola hac Dominus declarabat finem, ob quem venerat in mundum, qui erat praedicare et docere fidei doctrinam; unde sibi ipsi nomen seminantis imponit, quia ei proprium est, fidei doctrinam seminare in corde. Veritas enim fidei solius Dei opus est. Ipse est qui aedificavit Ecclesiam suam super petram et portae inferi non prevalebunt adversus eam.

Versus 5.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum, et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud.

Exiit.

1. — Theophylactus ait : « Exiit non loco, nam « ubique est, sed secundum illud quod propior « nobis est per carnem dicitur egredi et finibus « paternis. » Idem quoque super vocem *Exiit* notavit Cajetanus, *ibid.*, dum ait : « Exiit, quia « exivit a Patre et venit in mundum. » Salmeron hunc egressum excessui amoris ipsius erga nos attribuit : « Dicitur exisse ob ingentem vim amo- « ris ad exitum compellens; omnis enim amor « amantem extra se in re amata collocat. »

2. — Quodsi per hunc seminatore Verbum increatum seu Sapientia Patris intelligatur, ingenti cum mysterio ad seminandum hoc semen, e coelo et sinu Patris exire dicitur, ut per hoc innuat, quod

ad hoc, ut Verbum Dei et Sapientia Patris in auditorum cordibus fructum afferat, necessum sit ut is, qui Verbum illud, seminat illud divinum seminat, homo sit adeo justus et sanctus ac si de coelo ipso egressus fuisset.

Qui seminat seminare.

3. — Salmeron, venerabili Beda duce et auctore, observat quod Christus eadem die qua parentes illius predicationem ejus interrupperat, quaque varias a Pharisaeis blasphemias toleraverat, hanc parabolam juxta mare proposuerit, « ut intelligas, « adversus bonitatem Dei nihil potuisse malitiam, « quo enim Christum Pharisaei plus calumniaban- « tur et infestabantur, eo minus turbæ ab eo rece- « debant. » Praeterea ex hoc Evangelio, quod in praesenti bacchanaliorum tempore legitur, deduci potest, quod tametsi hoc tempore potius quam in totius anni quovis alio, majoribus afficiatur injuriis et opprobriis, ob hoc tamen ab annuntiando verbo suo, ad assistendum nobis in sacramento Eucharistiae, in orationibus solemnibus, ad alia nobis subministranda auxilia spiritualia nequaquam desistat, ut a praesentibus nos dissolutionibus divertere possit; in multis quoque bonis et devotis animabus clare videtur, quod, quanto magis a mundi torrente offenditur et derelinquitur, eo minus ab eo recedant.

4. — S. Hieronymus, in *Matth.*, ait : « Signifi- « catur, satorum istum, qui seminat, esse Filium « Dei, et Patris in populis seminare sermonem. » De hoc agricola Theophylactus pariter scribit, in *Luc.*, quod semen suum nostris inserere animabus nunquam cesset : « Non enim solum quando vide- « tur docere, sed et per mundum istum, et per ea « quae quotidie facit erga nos, seminat in anima- « bus nostris bona semina. » Salmeron, *ibid.*, notat quod, sicut idemmet Filius Dei, Redemptor noster et redemptio, lex et legislator, sacerdos et hostia dicitur, ita quoque sator et semen appelletur; siquidem Evangelium in sua substantia nihil est aliud quam ipsemet Christus incarnatus, natus, evangelizans, mortuus et a mortuis resurgens, etc.

5. — Semen manu spargitur, quae primo illud pugno stringit, priusquam in terram dispergat. Unde Didacus Stella, in *Luc.*, ait : « Seminatio « manu seminat, ita quoque tu manu et opere « optime praedicabis; » atque ideo idem Evange- lista de hoc eodem seminatore scribit : *Capit Jesus facere et docere.*

6. — Quodsi quis esset, qui nullam haberet agriculturæ notitiam aut experientiam, is utique videns, quod frumentum, quod ad faciendum panem caro pretio emitur, postea in terram projiciatur, hanc stultitiam meram esse crediturus esset; simili quoque stultitia nonnulli homines laborant de quibus textus ille Apostoli intelligitur : *Animalis*

homo non percipit ea quæ sunt spiritus, qui amentes et deliros illos esse censent, qui substantiam suam per eleemosynas in pauperes distribuunt, qui deliciis et voluptatibus abrenuntiant, neque enim qui tales sunt, intelligere possunt, quam verum sit, quod : *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent; cunctis ibunt et flevant, mittentes seminum suum; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Psal. cxxv, 5, 6.

7. — Coelestis hic agricola in suo e paradiso egressu primo venit, ut semen suum super hanc humanæ nostræ naturæ terram seminaret; at vero in altero suo in hunc mundum adventu, qui in die novissimi iudicii futurus erit, veniet, ut natam ex semine isto segetem in granarium cœli recondat; zizania vero et paleas in ignem infernale conjiciat.

Semen suum.

8. — Non sine peculiari mysterio hic suum adjunxit; per hoc enim, ut Cajetanus bene advertit, « seipsum demonstrat; » siquidem Apostoli et omnes alii, qui verbum Dei annuntiaverunt, semen Dei et non proprium seminaverunt; siquidem semen istud e Dei granario, id est, e sacra Scriptura, e Veteri et Novo Testamento desumpserunt, ac proinde hic Magister noster coelestis expresse dicit, *Matth., x, 20 : Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et *Luc., x, 16 : Qui vos audit, me audit.* Et Apostolus, *II Cor., xii, 3, de semetipso ait : An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Enimvero certum est, nos nullum semen bonum seminare posse, nisi illud de Christi granario mutuemus. Unde Albertus Magnus ait : « Ecce seminis puritas, non enim debet seminari, nisi semen summi agricolæ et non aliud. » Porro multi sunt, qui loco frumenti zizania, id est, hæreses et doctrinam falsam seminant. Hanc quoque miseriam seminandi semen proprium, non vero semen Christi, Paulus de Palatio in nonnullis prædicatoribus etiam catholicis deplorat, dum ait : « Neque otiose dixit : Semen bonum; fateor ideo raros parari in Ecclesia Dei fructus, quia qui seminant non semen Dei, sed suum seminant, non seminatur semen habens efficaciam ex Deo, ex charitate, ex spiritu, sed ex studio et eloquentia humana. »

Et dum seminant, aliud cecidit.

9. — Porro certum est id, quod S. Joannes de Christo ait : *Erat lux vera;* deque eo, qui hoc semen spargit, scribitur, *Psal. cxii, 6, 7 : Respicit in cælo et in terra; suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem;* atque ideo mirum est, quomodo semen, quod est ipsissimum Dei verbum, de manibus in terram ceciderit? Aliud cecidit. Albertus Magnus ad hoc se reflectit, quod S. Lucas non dicat, quod illud ex industria et data opera in

terram conjecerit, sed quod ceciderit : « Nunquam ex intentione projecit in locum ubi pereat, sed aliquando cadit ex fundi malitia absque intentione projectis et hoc est, de quo dicit : *Cecidit.* » Cornelius Jansenius hanc parabolam in illum præcipue finem ordinatam fuisse opinatur, ut exinde discamus, quod ut respiciamus et meliores evadamus, verbum Dei audire non sufficit : « Sed varie illud recipi, atque in paucis suos facere fructus, idque non ex vitio seminantis, aut seminis, sed ex vitio eorum qui semen recipiunt; » ac proinde Theophylactus ait : « Qui seminatur docet rectum sermonem, sed sermo diversimode cadit in audientes. »

Secus viam.

10. — « Via est cor, sedulo malarum cogitationum transitu atritum et arefactum, ne sermo verbi possit germinare, sed a pessimis cogitationibus conculcatur et a demonibus rapitur. » Unde ad eum modum, quo platea publica unicuique auditum indulget; ita cor impii omnibus malis cogitationibus, cunctisque vitii receptaculum exhibet.

11. — Albertus Magnus, in *Matth.*, ait : « Via est trita, dura et frequentata, et significat sensum et imaginationem, in quibus discurrunt delectantia sensualitatem et rerum concupiscentiam et frequentant pompam Satanae, » id quod in hisce luxu et vanitatibus deditis, licentiosis diebus singulariter adimpletur.

12. — Hugo Cardinalis, in *Luc.*, de illis explicat, qui verbum Dei solo exteriori auditu auscultant : « Secus viam sunt, qui audiunt exteriori sensu cor poris; dicitur *secus viam*, non in via veritatis, et aut penitentiae; vel *secus viam*, id est, transitum mundi, non separati a mundo. » Suntque illi proprie, qui simul Dei et mundi partes sustinere volunt; parvi enim faciunt, si ex prædicatione verbi Dei venientes, mox ad lascivias et profanas comedias transeant vel ab Ecclesiis venientes, prostibula accedant.

13. — Dionysius Carthusianus, in *Luc.*, expositionem quandam, hisce temporibus valde opportunam, adducit, dicens : « Id est, magna pars prædicationis Christi descendit in corda hominum mundanorum, carnalia spiritualibus preparationum, qui secus viam sunt, id est, latissimum sæculi hujus, id est, otiosis operibus adherent, nec a lata via perditionis elongare se volunt. »

14. — Salmeron, *tom. VII, tract. iv*, de infidelibus atque catechumenis intelligit, qui sacrum Baptismi lavacrum nondum receperunt et de hæreticis, qui ab Ecclesia separati sunt; vel etiam de malis Christianis, qui, tametsi veram profiterentur fidem : « Nondum tamen ingressi sunt viam Christi arctam, id est, virtutem, sive charitatem; de qua Apostolus : *Excellentiorem viam vobis demonstro.* »

Et conculcatur est.

15. — Hoc semen in semetipso tantæ est efficaciam, ut cælo pariter et terræ esse et perfectionem suam conferat : *Verbo Domini cæli firmati sunt. Dixit et facta sunt; omnipotens sermo tuus, Domine.* Unico duntaxat verbo surdis auditum, sermonem mutis, lumen caecis, vitium defunctis restituit : *Vox Domini in virtute;* unde igitur provenit, quod nonnunquam nullum prorsus in nobis fructum proferat? Paulus de Palatio ait : « Cum audit et ridet, tunc vere sementem conculcat, quia verbum, quod super caput statui debuerat, sub pedibus collocatur. »

16. — Albertus Magnus semen illud, quod secus viam cecidit, conculcatur esse notat, indeque hanc moralitatem deducit, præsentis proposito et tempore bacchanalium et carnispræiitii valde convenientem : « In qua diabolus per delectabilia et vanitates mundi cor ad duritiam conculcavit. *Perversa est via tua, mihi que contraria.* » Num., xxii, 23.

Et volucres cæli comederunt illud.

17. — Glossa, *ibid.*, rationem reddit, cur spiritus infernales volucres cæli in Scriptura appellentur : « Ideo volucres cæli dicuntur, quia coelestis et spiritualis sunt nature; vel quia per aërem discurrunt; » imo multi spiritus in aere degunt, de quibus Apostolus, *Eph., vi, 12*, scribit : *Contra spiritualia nequitia in cælestibus;* ideoque commune cum volucris diversorium habent.

Comederunt.

18. — Dionysius Carthusianus, *ibid.*, ait : « Hoc verbum Dei de cordibus audientium suis tentationibus abstulerunt, ad quos spiritualiter pertinet illud Osee : *Comederunt alieni robur ejus et ipse nescivit.* » S. Bonaventura advertit, ex hoc loquendi modo deduci duo esse præcipue obstacula impediencia, quo minus semen istud fructum in nobis faciat : « Male suggestiones hominum et tentationes demonum. »

19. — Salmeron invidiam diaboli, ejusque implacabile odium considerat, quod habet adversum illos, qui verbum Dei devote auscultant, siquidem sæpissime, imo committer, tempore concionum auditoribus somnum conciliat; aut vero cantus hirundinum, aut aliarum avium, canum latratus, ploratus puerorum, aut similes strepitus audiri facit : « Solet tunc curas domesticas menti obijcere, lites et similia, quæ possunt impedire attentionem, » similiter efficit, ut Prædicatores variorum defectuum censuris subjicere debeant, vel nimie prolixitatis, vel affectate subtilitatis, aut obscuritatis conceptum, vel eloquentiam, etc.

20. — Paulus de Palatio in alio sensu verbum comederunt interpretatur. Primo enim dicit, volu-

eres cæli, id est, demones comederunt, quia diabolus, videns verbum Dei contemptui haberi, gaudet et in hoc velut in lauto convivio delicias suas repositas habet. Secundo, quia propter hanc contemptum vires ipsius augentur ad nos tentandum, lapsisque nostrum tanto facilius procurrandum : « Robustior ergo fit; ut qui comedit contra jejunium. » Tertio comedere dicitur, « quia in pectore suo servat, quoties verbum contemnimus, » et in die iudicii acris accuset. » Quarto in exemplum et figuram, somnium illud adducit coci, sive Magistri pistorum Pharaonis, cui Joseph condemnationem ejus ad mortem in proximo esse prædixit, eo quod aves seu volucres cæli ex ferculis, quæ in canistro capiti suo imposito se portare somniabat, comedissem retulerat : « Ergo cum Dominus dicit volucres cæli comedissem cibum nostrum, » aperte indicat esse damnandos, qui verbum ita contempserint. »

Additiones.

a. — *Exit qui seminant seminare semen suum, etc.* D. Antonius Ulyssipon., *Serm. in Sczog.*, ait : « Seminatur est Christus, vel prædicator; ipsius semen est verbum. » Nam sicut sator effundit semen super terram, sic et prædicator doctrinam in auditores. Et sicut bonus sator, terre coeli ingenium observat, ne importune semina sua emittat, sic et bonus prædicator temporis, loci et auditorum opportunitatem præmeditari debet, ne suo labore frustreretur. Quas circumstantias, si hoc tempore, haecque Dominica consideret, videbit sacer Ecclesiastes, curandum sibi esse, ut gulam et ebrietatem individuos bacchanalium comites, tanquam seminarium omnis peccati abolere possit.

b. — D. Chrysostomus, *Hom. de terræ motu*, inquit : « Exit qui seminant ad seminandum; et quædam ceciderunt secus viam, quædam super petram, quædam super spinas, quædam in bonam et terram. Tres partes perierunt, et una servata est; nec ab agricultura destitit; sed quia una servata est, agrum colere non cessat. » O mira Christi charitas! Ita diligit ac æstimat animam justi, ac si omnes comparasset. Ita sese innumeris laboribus subijci pro unius animæ salute, ac si omnes esset lucraturus : unde jure merito singuli Redemptori nostro tantumdem obligantur pro anima propria, quantum obligantur in universali omnes. Sapiens, *Ecclesi., xxxix, 20*, ait : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam;* quibus verbis nos monere videtur, ut redemptionis nostræ pretium serio ponderemus, siquidem Christus animam et vitam suam nobis redimendis impendit. Notandum quod Ecclesiasticus non dicit quod animam suam, pro omnibus in communi, sed pro te in particulari dedit : *Dedit pro te animam suam.* In prophetia Zachariæ ponderanda sunt verba qui-

bus Filii Dei ad montem Calvarie accessum prædicit: *Eccc rex tuus venit tibi*. Neque enim, o anima mea, solum dicit quod ipse sit rex et Deus tuus. Sed insuper addit quod *venit tibi*. Pro te enim sola montem Calvarie ascendit, teque solum ita clementer et efficaciter respicit, ac si oculum suum ad nullam aliam animam directum haberet. Salvianus, Episcopus Massiliensis, talem habet doctrinam: « Christus sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis et totum se dedit universis, et singulis totum. Ac per hoc quidquid passione sua, Salvator præstitit, sicut totum debent universi, sic totum singuli. »

c. — Satorum illum, ait Beda, nullum melius quam Filium Dei intelligere possumus, qui de sinu Patris egressus est. Unde pulchre D. Chrysostomus in cap. x Lucæ, ad illa verba, *Messis quidem multa, operarii pauci*, sic disserit, Christum esse seminatore, et ait: « Vocat Evangelium messem; quasi dicat: *Parata sunt omnia*; mitto vos ad collectionem frugum; et eodem die, et serere potestis, et metere. »

Christus seminator, Apostoli operarii qui introierunt ad percipiendos fructus messis. Agricola multo vultus sui sudore terram præparat, stercorat, vepres amovet; hiberno tempore, sub frigore, vomere aperit glebas terre, zizania evellit, ac nascantia expurgat tritica. At qui congregat fructus, maxima lætitia perfunditur in die messis: *Sicut exultant victores capta præda*. Christus ergo sibi reservat labores arandi, ac patiendos fructus, maxima lætitia perfunditur in die messis: *Sicut exultant victores capta præda*. Christus ergo sibi reservat labores arandi, ac patiendos fructus, maxima lætitia perfunditur in die messis: *Sicut exultant victores capta præda*. Christus ergo sibi reservat labores arandi, ac patiendos fructus, maxima lætitia perfunditur in die messis: *Sicut exultant victores capta præda*.

d. — Ille sator qui exiit Filius Dei est qui de sinu Patris egressus est, non ad triumphandum sed ad serendum semen suæ doctrinæ et nostræ salutis. Sed unde exiit qui semper ubique prærens est? Qui omnia immensitate implet, qualiter exire potest? Certè non loco, sed benignitate et incarnationis dispensatione, propinquo nobis factus. Nam quia venire desideres cunctabamur, ipse ad nos egreditur. Sic igitur Christus exiit Evangelicam doctrinam seminare et verbum Dei, ut de cœli schola celestem œconomiam ediscamus ut idem faciamus, quod ipse qui fecit prius quæ docuit. Vis, o prædicator, persuadere? Disce a schola Christi, verbis opera adungere, prius facere, postea docere. Nam inculpata innocentem vitam Evangelii suadendi vigor est et laudatoris suadela. Non verba sed exempla proselytos, et vere religionis nobiles inquilinos efficiunt.

e. — Beneficia sua pulchre Dominus semen vocat; nesciunt enim beneficentiæ opera largas lucrorum segetes non parturire. Unde notabat Oseas, x, 12: *Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiæ*. Et seminare, et metere jubentur, sed ubi messis designatur, ejus augmentum ex solo

misericiordiæ designatur ore. Misericordia enim et beneficentia nunquam non messes meditatul copiosissimas. Quippe S. Ambrosius, *lib. de Naboth*, vii, ait: « Bonorum fructus munerum in eos ipsos qui contulerint, revertuntur et gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. » Nil a misericordia et beneficentia seritur quod multiplicatum non reddatur. S. Bonaventura de misericordia ab homine erga proximos suos exhibita, *Serm. i in Dom. I post Pentecos.*, ita scribit: « Misericordia locupletat in merito, augmentando dona gratiæ. Unde fenetratur Domino, qui miseretur pauperis. Sicut enim cito per usuram locupletatur homo divitiis temporalibus, sic per misericordiam, divitiis spiritualibus. » Isaias, lvm, 17, nonnulla enumerans misericordiæ opera, ad eadem nos his verbis invitat: *Dimittite eos qui contracti sunt, liberos, frange esurienti panem tuum et egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum*, etc. Demum vero immensa quoque bona ex his operibus in nos redundantia recenset dicens: *Utere erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius oriatur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet. Orietur in tenebris lux tua et tenebræ tuæ erunt sicut meridies, et requiem dabit tibi Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ.*

f. — Manifeste suam divinitatem prodit bonus hic seminator, vel ex jactis seminibus; quandoquidem nulla terra est adeo spinosa, adeo inculca et conculecatis proxima quam non gaudeat de accepto semine a manibus illius. Quid divinius, quam nulli, etsi abjecto, etsi immerenti, imo et repugnanti, negare beneficium? Ex hoc gravissime S. Augustinus probat divinitatem Jesu, apud homines degentis. Ait enim, *lib. I contra gent.*: « Atqui Christus æqualiter bonis malisque subvenit, nec repulsus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat, injuriasque fortune. » Hoc est enim proprium Dei veri, potentiaque regalis, divinitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime. Quid gloriæ Deo, si solis exigentibus meritis sua dona tribueret? Sane ea est propria Dei gloria, quæ benignitatem suam negat nulli, nec immeritissimo. Et sic quoque misericordiæ opera proximis exhibita, Deo nos similes efficiunt; unde et Dei Filius in his specialius semetipsum exercuit.

g. — *Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculecatis est*, etc. Merito cadentia semina secus viam conculecatis premit. Ut enim viam nullam culturam, nullum laborem præseferet, nec novit aratum, nec agricolæ manus, sed solis patet prætereuntem calcibus; sic piger et inactuosus animus, lotius præstantis laboris expers, et dedecus, et contemp-

tum, et contumeliosam vitam sibi parit. Pigritia enim et desidia saluti opponitur corporali, alque insuper aediosus in paupertatem, vilitatem et contemptum redigitur. Sapiens, *Prov.*, xxi, 25, inter alia hominis aediosus infortunia, hoc quoque recenset, quod scilicet sit præ omnibus aliis maxime mortis vicinus, facillimeque salutem corporalem amittat: *Desideria*, inquit, *occidunt pigram; noluerunt enim quidquam manus ejus operari*. Etenim in praxi videmus, quod aqua stagnans facile corrumpatur, vermes generet, et pestifera evadat. Ita quoque Plato de aediosis vitio scribit: « Corporum habitus otio et torpore corrumpitur. Exercitatione autem motaque plurimum conservatur. » Animæ quoque habitus, disciplina et meditatione, quæ moliones sunt, doctrinas consequitur, servatur atque perficitur; otio autem, id est, negligentia et pigrizia nihil penitus discit, et si quid didicerit, obliviscitur. » Aliunde S. Bernardinus ait: « Nil homini ignavo seipso vilius est. » S. Chrysostomus hoc ipsum perstringens vitium, *Hom. xxxv in Acta*, inquit: « Quid foetidius homine qui non habet quod operetur? Quid miserius? »

h. — Non miror, granum etsi electissimum dum secus viam cadit, a viatoribus conculecari, et inde inhumatum, a cœli volucris rostro tolli. Sed a cœli volucris, citius ac latius forsitan propagabatur, dum occisimo volatu Dei verbum volucres portant et ubique prædicant. Quid tam votive faustum huic semini, id est, verbo Dei et doctrinæ Evangelicæ accidere potuit, quam a volucris cœli assumi, et placide sonoro earum garritu velociter quaqueversum ferri et prædicari? Sed, o malum! hoc electum semen, verbum dico Dei, de harum volucrum rostro sonans feliciter, sterilesceat. Porro per has volucres cœli, Anselmus Laudan. cum communi interpretum dæmones intelligit, et explicatus D. Cyrillus, in *Caten.*, spiritus immundus, commentatur. Profecto spiritus immundi, etsi generoso vocabulo volucrum cœli nominentur, et celestis semen, doctrinam nempe Evangelicam, ore portant, ac prædicant, ac celeri volatu illam ubique annunciant, tamen quantum celeritatis in annunciando adjecto, tantum de vitioso spiritus immunditia, promulgationi Evangelicæ doctrinæ detrahitur. Istiusmodi cœli volucres, celestem doctrinam portare videntur in ore, illam comedere, illaque ali, sed dum illi spiritu immundo medullitis aluntur, verbum Dei corrumpunt: *Vox quidem vox Jacob est; sed manus sunt Esau*.

i. — « Volucres cœli, » inquit Hugo, » sunt dæmones, qui ideo bene volucres dicuntur, quia magna eorum pars versatur in hoc sæculo, per aera, usque ad diem judicii, » unde etiam a S. Paulo dicitur potestates aeris. Nunc autem sicut volucris minimus ad nidificandum locus sufficit, ut ibidem pullos excubet, sic quoque dæmoni minimus

ad animam nostram aditus sufficit, ut deinceps omnem suam malitiam, in eam infundere et pullos novorum peccatorum procreare possit. Utilissimum ergo profecto est hoc S. Pauli ad Ephesios, iv, 27, monitum: *Nolite locum dare diabolo*, quo humanam erudire voluit ignorantiam, ne fraudulento angui tartareo, vel minimum homines aditum indulgeant, siquidem, prouti experientia teste videmus, quocumque serpens capite suo penetrare potest, eo quoque toto reliquo corpore, paulatim, haud difficulter ingreditur. Qua eadem astutia dæmon semper uti consuevit, procurando nimirum, ut mediante levi aliqua transgressione, vel affectu, aut passione aliqua inordinata, vel minimam in corde et anima nostra, rimam aut aperturam obtinere ceat, siquidem etiam prehabita, haudquamquam est difficile est, ut paulatim in eandem cum omni malitia sua ingredi valeat.

j. — Celestis Sator optimum semen misit in terram, quæ etiam alias optima erat. Tamen hominum conculecacione sterilesceat ad fructum, et nullius etiam preventus nobis spem facit. O quam sepe optima indoles ac bonus ingenium, quia a malis sociis conculecatur, ac pessumdat, sterilesceat ac aridum redditur ad fructum! Nam maxime etiam virtuosos conversatio malorum pervertit. *Cum sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perversus eris*, dicit Psalmista, *Ps. xvii, 17*. Saul inter Prophetas evasit et ipse talis, non sine admiratione omnium, unde proverbium invaluit: *Num est Saul inter Prophetas?* Cum vix sanctam illam coronam deserens, cum perversis perversus fuit. David vir erat secundum cor Dei, summæ innocentie, vel ab ipsis incunabilis habitatus in virtutibus. Nihilominus Deus vetuit eum diu morari inter malos; ideoque per Prophetam Gad ei præcepit, ut illico a rege Moab discederet: *Noli manere in præsidio; proficiscere et vade in terram Judæ*. *I Reg.*, xxii, 5. Satius judicavit Dominus Davidem extremas ad mortem usque a Saule pati persecutiones, quam ut malis imbueretur moribus Gentilium, cum quibus voluntarie potius quam ex necessitate diversabatur.

k. — Terra alias optima conculecacione hominum sterilesceat ad fructum. Talis conculecacio sunt irrisiones hominum. O quam sepe optima devotio, aut vitæ probitas, quia irridetur, sic conculecatur, ac sterilesceat! Diabolus enim has hominum irrisiones tanquam machinas adhibet, quibus maxime timoratos a Deo seducat.

VERSUS 6.

Et aliud cecidit supra terram et natum aruit, quia non habebat humorem.

Et aliud cecidit supra terram.

1. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ait: « Id est,

« supra cor durum, de quo Zacharias : *Cor suum*
« *posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et*
« *verba quæ missi Dominus.* » Idem quoque sentit
Albertus Magnus, in *Luc.*, dum ait : « Est cordis
« duritia, quæ nec timore, nec comminatione fran-
« gitur, nec pietate, nec amore promissionum
« emollitur. » De hoc lapideo corde Glossa quoque
scribit, dum illud tale esse dicit : « In quo non est
« verus amor, nec perseverantiæ virtus. » De talibus
Jeremias Propheta, ut Dionysius Carthusianus ad-
vertit, hæc verbis vaticinalus fuit : *Induraverunt*
facies suas supra petram et noluerunt reverti.

2. — Hugo Cardinalis ait : « Petrosa pars terræ
« significat superbos, et invidios, et iracundos. »
Notat quoque idem Auctor, quod Christus Dominus
in hac parabola Apostolos suos et omnes alios, qui
ad ejus imitationem semen istud disseminaturi
erant, instruere voluerit; ut ab eo opere non desi-
derent, donec inde fructum natum viderent, siqui-
dem, nec ipse ab hoc seminandi munere substitit,
tametsi tres illius partes perituras esse ante præ-
screverit.

Et natum aruit, quia non habebat humorem.

3. — Lucas Brugensis dicit : « Ut solis æstus
« segetes radicales exurit, ita tentatio firmos robo-
« rat magis, infirmos dejicit. »

4. — Dionysius Carthusianus observat, quod
quotiescumque ex verbo Dei auditio non proficimus,
simul etiam ab operibus bonis prosequendis defi-
ciamus, et ratio est, quia humidum et humor
sapientiæ et donorum Spiritus Sancti, quæ nondum
in nobis radicata et stabilita fuerunt, in nobis defi-
cit : « Quemadmodum humor aquarum alit et con-
« servat arbusta, sic gratia Dei, virtutes et dona
« Spiritus Sancti mentem nutriunt et conservant. »
Etenim experientia quotidiana satis demonstrat,
quod ariditates spiritus et desolationes in via Dei
eos, qui in virtutibus nondum satis sunt confirmati,
facile in tentationes incidere faciunt.

5. — Salmeron hoc loco dubium movet, cur
increata Sapientia semen suum super terram conje-
cerit sterilem, in qua illud perdendum esse clare
prævidit? Et respondet cum Chrysostomo, quod,
quia Deus, quantum est ex parte sua, omnes in salutis
statum et ad veram Dei notitiam perducere inten-
dit, ideo omnem terram seminat : « Quia omnes
« ex mala terra, boni, per seminis verbi Dei virtu-
« tem, effici possunt. » Hoc quilibet alius agricola
quod veli, assequi tamen nequit, et ideo semen,
quod ab eo in terram sterilem conjicitur, ab ipso
infallibiliter perditur et amittitur : « Secus vero ille
« agricola, de quo dixit Domini Præcursor : *Potens*
« *est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* »

6. — S. Bernardus de corde in peccatis habituato
tractans, lib. 1 de *consider.*, ita scribit : « Cor
« durum ipsum est, quod nec compunctione scindi-

« tur, nec pietate mollietur, nec movetur precibus,
« exemplis non inducitur, minis non terretur,
« beneficiis induratur, flagellis non eruditur, ipsum
« est, quod nec Deum timet, nec homines revere-
« tur. »

Adiciones.

a. — *Et aliud cecidit super petram; et natum*
aruit, quia non habebat humorem. Erudite, advertit
S. Hieronymus, hanc primam esse parabolam, quam
cum interpretatione sua Christus proposuit; cave-
ndumque esse, ubicumque Dominus exponit sermo-
nes suos, ne vel aliud, vel plus, vel minus præsu-
mamus intelligere quam ab eo expositum est. « Quia
« vero tacuit et nostræ intelligentiæ Christus de-
« reliquit, esse diligentius perscrutanda, » ait
venerabilis Beda. Via ergo, ait idem Auctor, in
Matth., est mens sedula, malarum cogitationum
meatu tria atque arefacta. Petra, duritia proterva
sentientia. Terra levitas animæ obediens. Cor enim
durum et indomitum est in quo non est altitudo,
id est, profunditas terræ, seu profunda levitas
animæ obediens cælestibus disciplinis, quibus
aliquando, ita est anima obdurata, ut se habeat
veluti petra. *Induraverunt facies suas supra petram,*
et noluerunt reverti, ait Jeremias, v. 3. Non ergo
mirum quod semen illud, id est, verbum Dei,
quod in talem petram cadit, licet cælestes in
anima fructus ubertim spondeat, terræ defectu
sterilescat.

b. — *Cecidit super petram, corda scilicet indo-*
mita et superba, nullo fidei vomere penetrata.
Et natum ad horam aruit, quia licet aliqualem
fidem haberet, nullum tamen habebat humorem
honorum operum, nec rectæ conscientie. Fides
enim conjuncta debet esse cum bonis operibus,
morumque integritate. *Fides sine operibus mortua*
est. Quam veritatem S. Ambrosius accuratius con-
siderans, lib. II de *fide*, dicit : « Consideremus,
« quam moraliter egerit Dominus, ut nos non
« solum fidem, sed etiam mores doceret. » Neces-
sariam enim connexionem inter se habent doc-
trina, vitæque bonitas; neque hæc sufficit, nisi
insuper profiteatur præscriptorum sibi dogmatum
integritatem; sicut nec sufficit doctrina sine bono-
rum moralium rectitudine. Unde D. Chrysostomus,
Hom. II in Gen., ait : « Tametsi sanam teneamus
« doctrinam, vitam autem negligamus, nihil nobis
« proderunt doctrinæ. Rursus si vitæ curam dili-
« gentem gesserimus, in fidei autem placitis clau-
« dicaverimus, neque sic nobis aliquid lucrifuerit.
« Ideo convenit utrumque ædificium hoc nostrum
« spirituale communiri. *Omnis enim, inquit, qui*
audit hos sermones meos, et facit eos, assimilabitur
vitro prudenti. » Et alio in loco ait : « Quid queso
« fides conferet emolumentum, si vita sincera et pura
« non fuerit? »

c. — Miraris forte, verbi Dei semen, supra pe-

tram cadens, natum aruisse, ob defectum humo-
ris. Et qui fieri potest, quod semini verbi Dei
deficiat in petris humor? Ait Moyses, *Deuter.*,
xxxii, 2: Concescit in pluviam doctrina mea, sicut
ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et
quasi stilla super gramina; quia nomen Domini invo-
cabo. Quasi Dei serens verbum, eo ipso, et imbres,
et pluvias omnes secum habeat. Imo de quorum-
dam Indorum flumine, ait Minitius Felix, in Octa-
vio : « Indum flumen et serere Orientem dicitur et
« rigare. » Quod verus de divinis verbis, sive
lectis sive auditis, imo potius auditis dici potest,
quæ et semina sunt, et flumina, ut et animos se-
rant et indefectibiliter rigent. Cur ergo verbum
divinum, quandoquidem flumen est, et semen,
decidens supra petram natum aruit, quia non
habebat humorem? Rationem notat textus, dum
ait : *Aliud cecidit supra petram.* Non equidem cecidit
verbum Dei intra petram, sed solum supra
illam exterius cecidit. Si enim intra petram recep-
tum fuisset, valuisset facere durissimas petras lacte
et melle manare.

VERSUS 7.

Et aliud cecidit inter spinas et simul exortæ spinæ
suffocaverunt illud.

Et aliud cecidit inter spinas.

1. — Lucas Brugensis ait : « In terram feracem
« spinarum. » Et ideo ex verbis illis colligit, quod,
quando semen bonum in agro seminabatur, spinæ
in eodem agro nondum creverint, quia dicitur
quod simul creverint et germinarint, ita tamen, ut
spinæ citius fuerint exortæ : « Celerius assurrexe-
« runt, ut solent lilia et altius densiusque sese
« sparserunt, quam bona semina, quæ tardius pro-
« veniunt. » Pari quoque ratione experientia demon-
strat quod vitium in hac nostra natura corrupta
profundius radices suas agat et amplius citiusque
exrescat et augeatur quam virtus. Unde S. Bona-
ventura ait : « Quia plus in cordibus proficiunt et
« crescent cogitationes carnales quam spirituales,
« et eis prævalent. »

2. — S. Bonaventura, in *Luc.*, dicit : « Id est,
« inter mundanas sollicitudines, in quibus multi
« libenter conversantur; » adducitque illum S. Jobi,
xxx, 7, locum : Ecce sub sentibus delicias computabant
filii stultorum. Hinc sentibus et spinis plenus est
mundus, adeoque arident, ut desiderantur et pro-
curentur ab omnibus, atque in sinu constringantur.
Adducit quoque idem Seraphicus Doctor
illum Isaiæ, vii, 24, textum : *Vepres et spinæ erunt*
in universa terra; et hoc, merito primæ maledictionis.
Enimvero tametsi universum genus humanum cor-
rupta quædam et contaminata massa sit, eaque an-
tiquæ maledictioni universaliter subjecta; nihilo-
minus multis videtur, quod terra multorum, eorum

videlicet, qui in hac vita prospere agunt, spinas
nullas producat; sed graviter hi falluntur, certum
enim est, quod verba illa : *Spinæ et tribulos germin-*
avit tibi, maledictionem quamdam in se conti-
neant, quæ omnes omnino homines afficit; ac
proinde contrarium sentientibus dici potest, ita
quidem quoad prospere in hoc mundo agentes,
quoad exteriorem apparentiam videri, ac si spinis
carerent, revera tamen ita non est, quia verissimum
est, quod terra, id est, corpus uniuscujusque homi-
nis, anxietatum, sollicitudinum, infirmitatum, app-
etitum inordinatorum spinas et puncturas ei
producat; vel saltem ad minus puncturas remorsus
et synderesis male conscientie ei pariat, præter-
quam quod omnino certum sit, quod nemo sit
sua sorte contentus; quatumcumque enim quis felix
sit et prospere agat, huic tamen felicitati suæ interi-
us non acquiescit : « Nihil est ex omni parte bea-
« tum. »

3. — Dionysius Carthusianus per hæc spinas
supra quas semen hoc bonum cecidit, vitiosos
intelligit; unde ita exponit : « Hoc est in corda
« passionata, ambitiosa et vana, quæ superfluis
« curis, inordinatis timoribus, mortiferisque tristi-
« tiis afficiuntur, punguntur, torquentur, dum ad
« temporales divitias et caducos honores inmode-
« rate aspirant; » quales autem hæc puncturæ sint,
quæ illos transadigunt, mox declarat, dicens :
« Perdere trepidant, habentibus invident et perditis
« contristantur. »

Et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

4. — Spina simul cum bono semine crescit
illudque soffocat, quia in hujus mundi agro mali
simul cum bonis permixti sunt; et quidem mali
malitiam suam nonnunquam per hypocritas tegunt
et abscondunt, ne pro talibus agnoscantur, ipsisque
bonis sæpe adeo prævalent, ut post habeantur ab
illis et male tractentur.

5. — Porro tribus præcipue ex causis bonum
semen a spinis suffocatur; quarum prima est quia
terræ humorem et substantiam nutritivam exsugunt,
adeoque efficiunt, ut terra ad bonum semen
humectandum et germinandum sterilis et inhabilis
remaneat. Secunda est, quia cum spinis citius crescant,
sesequale late per agrum extendant, solares
radios, rorem, aerem et auram, aliasque benigniores
cæli influentias impediunt, quod minus super semen
bonum, quod sub terra coercent, cadere possit.
Tertia causa est, quia illud in modicitate et humili-
tate sua coercent, ne in altum sese erigere valeat.
Eodem prorsus modo tria impedimenta allegari
possunt, propter quæ cælestis semen, nullum in
multis fructum afferat; et prima quidem est nimia,
quæ de bonis temporalibus habetur, cura et sollici-
tudo; siquidem quanto amor ille, quo in creaturas
ferimur, major est, tanto minori amore prosequimur

Deum nostrum. Unde verissima est illa S. Gregorii sententia: « Quanto cor hominum terrena desideria « dilatat, tanto sinus cordis ad susceptionem « Spiritus Sancti coangustatur. » Secundo, eadem temporalia obstaculo sunt gratiarum, donorum et consolationum celestium influentibus, nam ut S. Bernardus, *Ser. v de sap.*, ait: « Cui Christus incli- « pit dulcescere, profecto necesse est amarescere « mundum. » Et ideo, qui spiritus suavitate gau- dere desiderat, carnis delicias cavere debet. Tertium impedimentum est nimis affectus, quem erga corpus nostrum gerimus, hic enim semen hoc, sursum cœlum versus se erigere et crescere nequaquam permittit; siquidem: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Additiones.

a. — *Et aliud cecidit inter spinas, et simul exorta spinæ suffocaverunt illud.* Significantur hic homines, qui Evangelicam fidei doctrinam audiunt et suscipiunt, tamen a divitiis, earumque inordinato amore oppressi, fructum justitiæ non reddunt, fidem sine operibus habentes. Per avidam enim divitiarum concupiscentiam, affectum et possessionem, fides, cultus et notitia Dei multum labefactatur. Apostolus, *I ad Tim.*, v, 10, scribit: *Hodie omnium malorum est cupiditas, quem quidam appetentes, erraverunt a fide.* S. Ambrosius, in sermone quodam de S. Alexio hoc S. Pauli testimonium adducens, dicit: « Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem « perdit; qui aurum redigit, gratiam prodigit; « avaritia enim cœcitas est, et errorem religionis « inducit. » S. Augustinus pluribus in locis eandem de avaris queremoniam habet, innumerabilem etenim animarum deplorat miseriam, qui aurum plura quam fidem faciunt. Imo auri cupiditatem et fidei sinceritatem, adeo parum se comparari posse existimat, ut dicere non vereatur: « Qui aurum « non habet fidem habet. » Alibi quoque idem sanctus Doctor avarum quemdam temporalium bonorum studiosum conquistorem, his verbis alloquitur: « Ut lucrum faceres, Deum offendisti; ut « aueres pecuniam, fides diminuta est et aurum « crescit. Quid perdidisti, et quid acquisisti? Quod « acquisisti, aurum vocatur; quod perdidisti, fides « vocatur. Compara fidem auro. » S. Thomas de Villanova, de suis temporibus graviter conqueritur, quibus homines certatim et turmatim felicitatem mundanam omni cum studio et conatu consecrari videntur: « Quanta mala fecit prosperitas et abun- « dantia? Prosperitas facit hominem oblivisci Dei « sui; facit eum superbum; facit eum levissimum « et mundanum; prosperitas facit vitiosum et iner- « tem, contemptorem proximorum; prosperitas « replet hominem vitis et peccatis usque ad sum- « mum. » In hac ne umbra quidem aut vestigium

aliquod fidei, aut characteris Christiani agnoscitur.

b. — Cur non postea, postquam jam semen se dilatasset in culmos, spicam produxisset, ac protulisset fructus, sed cum semen adhuc esset in sua specie, simul cum eo nascentur spinæ? Sic sepe contigit. Acriores hostiles incursum frequenter quidem armantur in virtutem adultam, sed etiam demones omnes suos conatus impellunt in virtutem teneram et infantilem ad ipsam perimendam et eradicandam; demon enim tunc nos maxime impugnat, quando Deo aretissime conjungi incipimus. Timent adversarii virtutem adultam, quæ jam multas per magnam annorum spatium habet formatas radices et magnos producit fructus, non vero teneram adhuc et vix nascentem; et ad hoc utuntur opera hominum perditæ salutis, quos tanquam suos demones adhibent satellites. Per experientiam videmus, quod carcerum custodes, et præfecti, dum rei perfractis carceris foribus, inde se propriant, omnem artem et industriam adhibere soleant, ut captivos in jus et potestatem suam redigere possint, iisque tandem deprehensis, catenas et compedes reduplicare consueverint. Idem quoque nobiscum demon facere solet. Mox enim, ut ad fruentium ingenua filiorum Dei libertate, jugum ejus excussimus, omnem adhibet possibilem industriam, ut nos sub suam denuo tyrannidem revocare queat: *Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi, et faciunt noxissima hominis illius pejora prioribus.* *Luc.*, xi, 26. Ad proinde Ecclesiasticus eos qui a demonis servitute ad serviendum Deo transierunt, opportune monet, ut ad pugnam acrem subeundam solliciti se præparent: *Fili, accedens ad servitium Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* « Quisquis enim accingi in divino « servitio properat, » inquit S. Gregorius, *lib. IV Moral.*, xxi, « quid aliud, quam se contra antiqui « adversarii certamen parat, ut liber in certamine « ictus suscipiat, qui sub tyranno in captivitate ser- « viebat. » Ubicumque enim virtus et sanctitas reperitur, ibi semper prælia et certamina inferni præsto esse videntur. « Neque enim adversum te « diabolus irrueret, nisi in majori te positum « honore conspiceret, » inquit S. Chrysostomus.

c. — Spinæ semen suffocant, et non semen spinas. Spinæ enim ex contubernio boni seminis nullum habent damnum; at vero bonum semen ex vicinitate et approximatione spinarum, suffocationem ac interitum reportat. Similes spinæ sunt scandalosi, qui causa sunt ruinæ multorum. Si quod adificium attulerit, cum seipso plerumque corruere facit muros vicinos, divellit rumpitque pavimenta, læta, sulfitis, trabes domosque contiguas. Ita quoque scandalosus unicus, non solus cadit et ruit, sed etiam alios cadere facit amicos, cognatos, socios, omnesque alios, ad quos malum ejus transmittitur exemplum; ideoque S. Thomas

de Villanova nos adhortatur dicens: « Caveamus « scandalum præbere pusillis et dare illis occasio- « nem ruinæ. Sufficiunt nobis peccata nostra: non « simus apud Deum etiam alienorum peccatorum « rei. »

d. — Exorta spinæ suffocant bonum semen. Sic sanè frequens est consuetudo, ut si aliquis bonus affectus, bonusque motus in nobis apparet, statim iniquorum cœtus excietur et moveatur ad illum extinguendum, idque per irrisiones. Virtus enim deridetur ab impiis utpote spina in oculis eorum. *Ambulans recto itinere, inquit Sapiens, Prov.*, xiv, 2, *et timens Deum, despicitur ab eo qui infamam graditur via.* Quod si cæcus aliquis, sannis exciperet eum, qui perspicaci visu pollet, numquid illum, vel suam amare cœcitate, vel inanis cerebri esse diceret? Cæci sunt et duces cæcorum omnes illi mundani homines qui lumen Dei contemnunt et derident. Quando David ex religionis et pietatis motivo, depositis regis insigniis, in medium villis plebiculæ se ingerens, in solemnii illa processione, coram arca Domini saltavit, a Michol conjugæ suæ derisus fuit, dicente: *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, disceperens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si auderet unus de scurris.* Neq. tamen sapiens ille rex ob hoc conjugis suæ risus quidquam turbatus est, sed animose respondit: *Ludam, et vilior nam plus quam factus sum.* At vero seitissime causam cur cachinnos mulieris tam generose contempsit? Nimirum, animalis homo non percipit ea que sunt spiritus. Michol enim, tametsi regina esset, Saulis tamen reprobi filia erat, ideoque synagogam præfigurabat que verum David, id est, Messiam et Salvatorem nostrum derisura erat. Præterea enim derisionem contempsit quia a muliere procedebat; unde Glossa ait: « Non erubuit David « femineas opiniones. » Etenim si derisiones sub- stantiarum contemnere volumus, necesse est ut examinemus quinam sint illi a quibus deridemur. Magnus profecto abusus est, quod iis qui inter mundanos et dissolutos homines vivunt, virtuose agere, ad salutem animæ diligenter attendere, in acibus humilitatis, mortificationis et contemptus sui ipsius se exercere, nescio quem ruborem et erubescen- tiam apud mundum pariat.

e. — Expende diligenter quæ spinæ suffocent sementem, nimirum spinæ que simul cum semente intra ipsam arcam nascentur, non que forinsecus ipsam arcam et sementem sepiunt. Hæc potius pro vallo et defensione sementis sunt. Nec aliter mundi bona forinsecus posita maximam afferunt utilitatem, verum que simul intra cordis arcam nascitur bonorum mundi nimia cupiditas, hæc prorsus nasciva et pestifera est. Bona siquidem mundi hujus amare quidem possumus, ita tamen ut illa Deo non antepo- namus, qui illa creavit, sed ut per ea in notitiam Dei venientes, illum amemus. S. Augustinus inordi-

nationem detestans mundanorum, qui obverso tergo Deo, totos se creaturis dedunt, in hæc verba lamentatur: « Inebriantur, et pereunt, et obliviscuntur « Creatorem suum; dum non temperant, sed « cupide utuntur creatis, Creator contemnitur. » Clarior autem paulo post se explicat, dicens: « Non « te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad « beatitudinem, sed ad hoc probare et laudare, ut « ames Creatorem. Dedit tibi Deus omnia ista. « Ama illum qui fecit ista. Plus est quod tibi vult « dare, id est, seipsum, qui ista fecit. Si autem « amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit, et ne- « glexeris Creatorem, et amaveris mundum, nonne « tuus amor adulterius reputabitur? » *Tract. II in Epist. I Joan.*

VERSUS 8.

Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum.

Et aliud cecidit in terram bonam.

1. — Didacus Stella, in *Luc.*, religiose observat, quantum nobis hæc parabola timorem et tremorem incutere debeat, siquidem ex quatuor agri parti- bus, supra quas idem agricola, in medio celestis agricola, in propria persona divini verbi sui, semen dispersit, unica duntaxat fructum protulit. Unde tandem formidabilem hæc deducit conclusionem: « Quam paucos putabimus fore salvandos? » Quæ consequentia desumpta esse videtur ex Theophylacto, qui super hanc parabolam, prout a S. Mattheo recensetur, scribens, dicit: « Tres partes « seminis perierunt et quarta sola servata est, « pauci enim sunt qui salvantur. » Id quod verum esse facile videbit, quisque hisce diebus oculos suos in vitam Christianorum defixerit; videbit enim, quod major pars torrentem mundi, demonis et carnis signa et vexilla seclentur, pauci vero sint, qui in divino servitio et Christi sequela solidi et stabiles persistant.

2. — Dionysius Carthusianus per hæc terram bonam, hominis naturam seu indolem, divina gratia adjutam, intelligit: « In corde bono per dona « natura, et optimo per dona gratiæ; dona enim « nature aptant hominem ad virtutem et subser- « viunt gratiæ. »

3. — Glossa, *ibid.*, auditores ad verbum Dei audiendum dispositos et avidos intelligit: « Qui « verbum audire satagunt et in ventrem memoriæ « recondunt et sic opportuno tempore fructum « operationis proferunt, inter prospera et adversa « sæculi patientes. »

4. — S. Mattheus, qui eandem parabolam re- fert, ita scribit: *Alia ceciderunt in terram bonam et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum et aliud trigesimum, Salmoron hæc verba examians, mysterium illorum refert, nimirum*

quod per triplicem hunc fructum tres intelliguntur vocationes differentes, nimirum virginalis, vidualis et conjugalis; addit tamen, quod per hoc non intendat opinionem illam rejicere, quae per triplicem hunc fructum tres differentes status intelligit, nimirum incipientium, proficientium et perfectorum.

5. — Advertendum est hoc loco, quod tametsi tres hujus seminis partes perditae fuerunt, una tamen pars illius adeo abundantem fructum protulit, ut sumptus et laborem ab agricola adhibitum adaequare possit; ita nonnunquam in praedicatione Evangelicae modicus quidem fructus comparatur, qui tamen tanti sit pretii et valoris, ut propter illius lucrum optime collocati esse censentur Evangelici praedicatoris perfusi sudores et labores. Licet S. Ambrosius per suam praedicationem nullos alios lucratulus fuisset praeterquam unicum tantum S. Augustinum, ipsi tamen dicti potuissent: « hic pro decem » millibus computatur. »

Additio.

a. — Et aliud accidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Unum et idem semen, seminat in diversos agros, diversos quoque habuit fructus, in quibusdam nullum, in aliis multum, non vitio seminis, id est, doctrinae, sed terrae, id est, auditorum culpa. Scilicet quoddam semen ob viam, quoddam ob petras, quoddam ob spinas, fructu caruit, Petra autem est caro, mundus spina, via trita saecularis et licentioris vitae modus; volucres caeli demones qui veluti aves velocissimae, animarum valde voraces, semen jactum, doctrinam scilicet praedicatam, e memoria, e mente abripiunt, hominesque a sedula auscultatione avertunt. Sunt enim qui verbum Dei sine attentione auscultant, et sunt e contra alii, qui cum devotione eidem assunt, qui semen, id est, doctrinam, in terra bona, hoc est, in corde bono suscipiunt. Ecclesiasticus, XXI, 17, hisce verbis differentiam assignat quae est inter perditae salutis hominem et timoratum conscientiae virum: *Cor fatui quasi vis contractum, et omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quocumque audivit scius, laudabit et ad se adiciet.*

VERSUS 9.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.

Hæc dicens clamabat.

1. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ait: « Ut suo clamore excitaret auditorum attentionem. » Quando homines imprudenter vocem suam extollunt ut audiantur, iudicium id esse solet furoris, non vero item in hominibus circumspiculis et prudentibus: « In sapientibus, » inquit Didacus Stella,

« magnum aliquid portendi: ergo Christo, sapientum sapientissimo, clamante, summum est, quod agitur mysterium. » Porro in Hebraeorum populo, multi quidem praevaluerunt excessus, nec tamen Deus ad transgressores reprehendendos vocem suam ipsemet in persona propria extollere voluit, sed Isaiam, LVIII, 13, ad illos, cum hæc ei data commissione misit: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum.* Filiis quoque Josiae, in eodem populo regnantibus, de novo iniquitates populi illius adaucte et nimis multiplicatae fuere, misitque ad eos de novo Jeremiam eique dicit: *Clama in auribus Jerusalem, etc.* « Major igitur nunc urget necessitas, quæ Filium Dei vociferari cogit. » Per totum Novi Testamenti decursum, Christus trina vice vocem suam extulisse legitur, nimirum primo in presenti Evangelio et occasione. Deinde quando, *Joan.*, VII, 37, dicit: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Tertio denique, quando in monte Calvariae, *clamans voce magna, respirevit.* Porro quando spiritum suum in Patris manus consignavit; ipsam tenebrarum Principem protinus in fugam pepulit, quando nos, ut hiberemus, ad se invitavit: « Loquebatur de spiritu, quem accepturi erant credentes: nunc vero clamans, commendat » auditionem verbi divini, » siquidem immediate post dicit: *Qui habet aures, etc.* Joannes penitentiam praedicans, elata in altum voce dixit: *Ego vox clamantis in deserto:* « at nunc Christus ipse » clamat; negotium procul dubio saluti hominum » maxime necessarium agitur, hic pro quo Deus » clamare non dubitat. » Etenim verbum Dei, seu praedictio Evangelii, unum est ex praestantioribus auxiliis atque subsidiis, quæ Deus ad animarum salutem cooperandum in Ecclesia sua reliquit. Isaias qui ad divinum ejus verbum annuntiandum a Deo electus fuit unde et labia ejus igne purificata fuisse leguntur ita scribit: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset et quasi Gomorra similes essemus; semen est verbum Dei.*

Qui habet aures audiendi audiat.

2. — Hugo Cardinalis, in *Luc.*, ait: « Triplicem » auditum notat hic, qui est necessarius auditoribus: scilicet auditus naturæ, quo verbum suscipitur; auditus intelligentiæ, quo sensu verbi discernitur; auditus obedientiæ, quo res verbi efficitur. Non corporis » inquit etiam Cajetanus, » sed mentis aures excitat. » Sunt porro nonnulli, qui verbum Dei auscultant quidem, non tamen ipsam intelliunt, alii vero intelliunt quidem, sed non recogitant aut ruminant, nec se applicant, ut inde proficere possint, alii quidem bonum habent propositum exequendi ea quæ audiverunt, sed ad effectum illius propositi nunquam pertingunt, sive per negligentiam, sive quia se ad id, tempus sufficientes aliquando habituros esse sperant. Unde

Lucas Brugensis ait: « Qui non audit, aut audita » non conatur intelligere quæ debet, aut quo » animo non debet, ut calumniandi vel irridendi » animo, is non utilis auribus ad audiendum; » perversum est enim hoc aurium officium. »

Additio.

a. — *Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.* Ut auditores mentes, ait D. Bonaventura, excitarentur ad percipiendam et intelligendam ab ipso dicta, valde clamat Dominus. Nam cum essent sub velamento parabolæ, erant abdita et abscondita. Ipse vero semper est clamans et excitans nos ad bonum nostrum. *Qui habet aures audiendi audiat.* Numquid aures ad aliud ministerium sunt, nisi ad audiendum? Quid ergo sibi vult hæc phrasid? Loquitur Dominus de simplici ac recto usu sensus: qui enim audit ut oportet verbum Dei, et ut recte intelligat, hic vere audit et fructum reportat. Qui autem audit, non ut audiat et intelligat, sed velut per unam aurem intret et per alteram exeat, neque animam penetret; hic non audit juxta id ad quod ei sensus dati sunt, et ideo nullum fructum consequitur. S. Bonaventura, explicans verba illa: *Custodiam sermones tuos, inquit: « Sermones divinos debemus custodire, intellegendi, diligendo, obediendo. Prima custodia » fit in parte animæ intellectiva; secunda in affectiva; tertia in effectiva. » Theophylactus textum illum apud S. Joannem, xv, 7: *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quidquid volueritis, petetis et fiet vobis,* exponit dicens: « *Si verba mea in vobis manserint, hoc est, si mandata mea custodiat. » Tunc enim verbi Dei efficaciam experiemur, si illud effectui mandaverimus.**

VERSUS 10.

Interrogabant eum discipuli ejus: Quæ est hæc parabola?

VERSUS 11.

Quibus ipse dixit: Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.

1. — Theophylactus ait: « Hoc est, vobis quæ » rentibus, ut discatis; » siquidem *esurientes implebit bonis.* Christus quoque dicit: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* unde cum ipsi se ad audiendum verbum Dei magis se probaverint esse avidos et cupidos, ideo digni aestimati sunt, qui aqua sapientiæ illius potarentur, de qua scribitur, *Eclii.*, xv, 30: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum.*

2. — Paulus de Palatio ait: « Vide quibus: » piscatoribus, pauperibus, ignobilibus, indoctis.

« Certe datur nosse pauperibus et parvulis, quod » absconditur sapientibus et prudentibus. » Porro ad celestem doctrinam et sapientiam sui communicandam, non Aristoteles, Socrates, Platonem, Demosthenes, sed viles et idiotas piscatores elegit.

3. — S. Bonaventura, in *Luc.*, dicit: « Regnum » Dei, id est, intelligentiam Scripturæ, quæ regnum » Dei dicitur, juxta illud: *Auferetur a vobis regnum » Dei et dabitur genti facienti fructus ejus.* » Redditque rationem, cur Scriptura sacra glorioso hoc titulo insigniatur: « Quia scilicet regnum Dei prædicat, et ostendit, et promittit, et obedientem » ipsi ad regnum Dei perducit secundum illud: » *Scrutamini Scripturas, quia vos pulcris in ipsis vitam æternam habere.* » Albertus Magnus dicit, Apostolos et discipulos id non promississe ex merito proprio, sed ex specialissimo Dei dono: « Vobis » datum est, per donum spiritus, et intellectus, et » sapientiæ, et non habetis ex vobis. » Nos non spiritum hujus mundi accipimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, ait Apostolus, I *Cor.*, II, 12.

4. — Hæc verba quoque in sensu morali hisce bacchanaliorum diebus adaptato, applicari possunt omnibus illis, qui ab omnibus dissolutionibus, quas præsens tempus carnisprævitium secum habere solet, separati vivunt; hi enim vere intelligunt mysterium regni Dei, de quo Apostolus, *Rom.*, xv, 17, ita scribit: *Non est regnum Dei, esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.* Idem quoque Apostolus ad Galatas, v, 24, scribens, declarat, unde dignosci possit, quinam sint viri sequaces et discipuli scholæ Jesu Christi: *Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis suis; quod idem est ac si diceret: qui bacchanaliorum hostes existentes, eadem dissipant, fugant et fugiunt, siquidem per appetitum sensualium mortificationem efficiunt, ut caro adversus spiritum prævalere non possit.*

Cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant.

5. — Querit Didacus Stella, in *Luc.*, an Christus non a turba, sed a solis Apostolis in suis praedicationibus intelligi voluerit? Si ita est, igitur frustra illis prædicabat. « Nam ut Paulus ait: *Si quis loquitur et non intelligatur, mens ejus sine fructu est.* » Respondet autem, hanc S. Pauli doctrinam hic locum non habere, siquidem Salvator noster ex proposito, parabolis inter loquendum utebatur: « Ut rogatus lenacius doctrinam suam animis audientium imprimeret. » Ac proinde si a Pharisæis et aliis non intelligebatur, id propria ipsorum culpa fiebat. « Quoniam animo malevolis audientes » et non salutifera sibi, sed incommoda Christo » quærebant; » quodsi iidem hanc doctrinam prædicatam non intellexerunt, id fuit, quia nihil eam